

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Vicesimus Tertius, De Statu Oeconomico.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

gnent; Dan. X, 13. Psalm. XXXIV, 8. (7) quod voluntatem Dei in munere suo fideliter exsequuti, suam gloriam atque honorem in nouam Ierusalem collaturi et cum Christo aeternum regnaturi sint. Apoc. XXI, 24.

ARTICVLVS VICESIMVS
TERTIVS,

DE

STATV OECONOMICO.

§. I.

Tertius
status hie-
rarchicus
quis?

Tertius status hierarchicus, in quo homines, ecclesiam constituentes, considerari possunt, est sic dictus *status æconomicus*; ubi (1) de coniugibus, (2) de parentibus et liberis, (3) de heris et famulatio pauca et ea summam dicenda sunt.

§. II.

Auctor
coniugii
quis?

Auctor coniugii ipse Deus est, quippe qui non solum initio mulierem creauit, eamque Adamo adiutricem adiunxit, Gen. I, 27. 28. II, 18. sed hunc ordinem etiam nunc benedictione sua conseruat, eaque in re sanctam suam prouidentiam et vim flectendi animos demonstrat, Prou. XIX, 14. Vnde coniugium per se sanctus et diuinus ordo est, eamque ob rem sancte et reuerenter coram Deo habendus, Hebr. XIII, 4. 1 Tim. II, 15. *LV-THERVS* Conc. de Coniug. Tom. II. Alt. fol. 867. b. „*Coniugium totius sacrosanctæ*
„*Trini-*

„Trinitatis opus conditum, ordo et institutum
 „est, quemadmodum Moses Gen. II. scribit, quod
 „Elohim, DII (non Eloha in numero singulari,
 „DEVS siue persona singularis, sed) plures per-
 „sonæ diuinitatis Euam mulierem construxe-
 „runt ex vna de costis Adami, arcte et graui-
 „ter dormientis. Et subiungit: Et adduxit
 „eam Elohim, DII, ad Adamum. Vt adeo tota
 „sacrosancta Trinitas, siue omnes tres diuini-
 „tatis personæ, Euam sponsam adducant et co-
 „mitentur, et quasi pronubæ sint; et præterea
 „Filius Dei, Christus Iesus, tamquam verus et
 „summus sacerdos, Adamum sponsum et Euam
 „sponsam copulat eisque bene precatur. Verba
 „enim, quæ, vt Moses c. II. narrat, Adamus lo-
 „quutus est, Christus Matth. XIX. et Marc. X.
 „Deum loquutum esse dicit. Hic profecto Chri-
 „stus Iesus, qui verus Deus est, fuit, per quem
 „Deus Pater loquutus est.”

§. III.

Coniugium ipsum consistit in coniunctio-
 ne duarum personarum, per naturam et di-
 uinam ordinationem huic statui aptarum, vt
 in arctissima et indissolubili consociatione ad
 vitæ vsque finem viuant, Matth. XIX, 5. 6.
 I Cor. VII, 2. 10. In veteri testamento viris
 ob animi peruiaciam vxores suas repudia-
 re permissum erat, quod in nouo testamen-
 to, excepta adulterii aut malitiôsæ deservio-
 nis causa, locum non habet. Matth. V, 32.
 XIX, 9. I Cor. VII, 15. Rationem, cur adul-
 terium

terium diuorium faciat, exponit LVTHE-
RVS in Matth. V. Tom. VII. Witteb. fol. 32
b. (Tom. V. Alt. fol. 848. b.) „*Si quaesueris,*
„*an prorsus nulla causa sit, quæ permittat vi-*
„*ro cum uxore facere diuortium? Respondeo:*
„*Christus hoc capite et iterum Matth. XIX.*
„*hanc indicat, quæ adulterium dicitur, tractam*
„*e lege Mosaica, adulterium capitis supplicio*
„*puniente. Quum ergo sola mors matrimoni-*
„*um scindat et segreget, et alteram partem a*
„*iugo liberet, constat, iam adulterum quoque*
„*repudiatum esse, non per homines, sed ab ipso*
„*Deo, et non tantum a sua coniuge, sed etiam*
„*ab hac vita segregatum et exterminatum. Nam*
„*adulterii flagitio se ipse ab uxore sua segrega-*
„*vit, et matrimonium discidit, quod ipsi scin-*
„*dendum non erat, quo scelere mortem com-*
„*meruit, et iam coram Deo mortuus est, quam-*
„*quam a iudice non occidatur. Itaque Deo hic*
„*diuortium faciente, altera pars liberatur, ut*
„*non amplius compari cogatur esse obnoxia, ser-*
„*uare velit, nec ne eam, quæ lapsa est, nisi lu-*
„*benti animo facere voluerit.*” Polygamia
originem habet a Lamecho, Gen. IV, 19.
pugnare autem eam cum prima coniugii in-
stitutione, Christus docet Matth. XIX, 4-6.

§. IV.

Quis finis coniugii? *Finis* coniugii est (1) humani generis con-
seruatio et propagatio; Gen. I, 28. Tob.
VIII, 9. (2) mutuam vitæ adiutorium eo-
rum, qui coniugalis amoris vinculo inter se
con-

coniuncti sunt, Gen. II, 18. Accedit (3) omnis *impuritatis*, cum christiana modestia et castitate pugnantis, *deuitatio*, 1 Cor. VII, 2. 9. quam ob rem illis, qui ecclesiæ ministrant, non sine graui peccato et culpa matrimonium interdici potest, vti fit in papatu. 1 Tim. III, 2-4. IV, 1-3. 1 Cor. IX, 5. Matth. XIX, 11. 12. Ceterum regula apostolica 1 Cor. VII, 38. ita habet: *Qui nuptum elocat* (dummodo in Domino fiat, com. 39.) *recte facit, et qui non elocat*, (dummodo hac dote præditus sit, com. 7. 9. Matth. XIX, 11. 12.) *rectius facit*.

§. V.

Officium I. eorum, qui extra coniugium viuunt, est: (1) acceptum diuini donum nam offi-
agendi vitam cælibem cum animi submissio-
ne possidere, nullum in eo meritum vel præ-
rogatiuam quærere, multo minus eorum, *Quod-*
qui ex diuina ordinatione in matrimonio de-
gunt, conscientias turbare. (2) Hoc ipso
dono ad verum scopum vti, hoc est, ad cu-
randum res Domini, vt Domino placeant,
1 Cor. VII, 32. vt et corpore sancti sint et
spiritu, com. 34. et ἀνεκτιστός, sine vlla
distractione, seu indiuisa cum Domino con-
iunctione, viuant, com. 35. II. *Illorum, qui* *Quod-*
matrimonium inire volunt, (1) animos suos nam illo-
ab omnibus consiliis et rationibus cum san-
ctitate huius ordinis pugnantibus per Spiri-
tum gratiæ purgare, eosque ad gratum Deo
con-
volunt?

coniugium sanctificari sinere, ut in Domino ineatur. (2) Susceptum consilium ardentibus et supplicibus precibus Deo commendare, ab eoque de eiusmodi thalami confortare contendere, cuius in societate vitam christianam agere finemque huius ordinis adsequi possint. Gen. XXIV, 7. 12. 13. 14.

(3) In electione conjugis prohibitos ab ipso Deo Levit. XVIII. & XX. consanguinitatis et affinitatis gradus vitare. (4) Speciatim liberorum est, non secus ac suadentibus et consentientibus parentibus coire in matrimonium; ubi vero parentes ex morositate et iniquo huius illiusve rei respectu potestate sua ad noxam et detrimentum liberorum abuti haud decet. (5) Cauere, ne nuptiarum sollemnibus, quæ cum ostentatione et luxu, cum comissionibus et compotationibus, aliisque vanis et ludicris actionibus, homines christianos dedecentibus, celebrentur, diuinam benedictionem perdant, illius autem loco grauem sibi maledictionem & pœnam attrahant. III. *Eorum, qui in con-*

Quod-
nam offi-
cium con-
iugum?

iugio viuunt, (1) cum studio christianæ abnegationis et sanctimonix vitam conjugalem vna viuere, nec committere, ut per hoc vitæ genus a cælestis vocationis ad nuptiarum Agni cœnam habenda ratione auocentur. Tob. VIII, 4-6. 1 Cor. VII, 29. Luc. XIV, 20. coll. Gen. III, 12. 1 Theff. IV, 3-5. (2) Datam fidem ad mortem vsque in-

integram seruare, nec se inuicem malitiose deserere. Hebr. XIII, 4. 1 Cor. VII, 10. 11. Matth. V, 32. XIX, 3-9. Malach. II, 14-16. (3) Tam læta, quam diuinitus immissa tristitia, per ardentis, fidelis & sinceræ caritatis spiritum habere inter se communia, et generatim in rebus et necessitatibus huius vitæ omnibus sibi mutuam auxilium præstare. *Specialia* maritorum et vxorum officia vid. in tabula sic dicta œconomica, secundum 1 Cor. VII, 3. 4. 5. 12. 13. 15. Col. III, 18. 19. Eph. V, 22. 23. 1 Petr. III, 1-7.

§. VI.

Solatiū hominum christianorum, *extra* Quod-
matrimonium viuentium, est, (1) quod a nam sola-
multis afflictionibus et tentationibus, quæ tium ho-
cum matrimonio coniunctæ sunt, immunes minum
esse possint; 1 Cor. VII, 28. (2) quod in christia-
publicis calamitatibus et vexationibus tole- norum
rabilior sit ipsorum quam matrimonio iun- extra ma-
ctorum conditio; Matth. XXIV, 19. Luc. trimoni-
XXIII, 28. 29. (3) quod sanctimoniam um vi-
tanto inoffensius persequi, viresque suas ad ventium?
gloriam Dei, et commoda vtilitatemque alio-
rum adhibere possint; Matth. XIX, 12. 1 Cor.
VII, 32. 34. 35. (4) quod in hoc vitæ ge-
nere vitam et conditionem eorum quodam-
modo adumbrent, quibus vitam cælestem
adsequi et ex mortuis surrexissè contigit,
quippe qui nec ducunt vxores, nec nubunt,
sed angelorum Dei similes sunt, et tamquam
in-

in-

intemeratæ virgines Agnum, quocumque vadar, sequuntur. Luc. XX, 35-36. Apoc. XIV, 4. *Piorum coniugum solatium* est, (1) quod hic ordo per se diuinus et sanctus ordo sit, in quo proinde saluo officio christiano degere eoque vti possint; Gen. II, 18. 22. 1 Cor. VII, 36. 1 Tim. IV, 1. 3. 4. 5. (2) quod Deus non solum in corporalibus peculiarem benedictionem huic ordini attribuerit, Gen. I, 28. Leuit. XXVI, 9. sed eum etiam occasionem multum boni spiritualis participandi esse velit; Rom. VIII, 28. (3) quod eis hoc ipso omnes calamitates et ærumnæ huius sæculi leniantur et reddantur dulces; Gen. XXIV, 67. Prou. XXXI, 10-12. Sirac. XXVI, 1-4. 16. (4) quod christianum et sanctificationis coniugium commonefactio et symbolum sit mysticæ et arctissimæ coniunctionis inter Christum sponsum et ecclesiam sponsam eius; Eph. V, 23. 32. Vid. supra Part. II. Artic. VIII. §. IV. VI. X. (5) quod terrestri coniugio in eoque certamine fidei ac patientiæ religiose perfuncti ad cœnam nuptiarum Agni peruenturi, et in sempiterno, arctissimo et indissolubili amore ac coniunctione cum Christo victuri sint. 1 Thess. IV, 16. 17. Apoc. XIX, 6-9. XXI, 2. 3. 4. 7.

§. VII.

Ordo inter
parentes et libe-
ros vnde?

Ordo inter parentes et liberos similiter a Deo est, quippe qui non solum in ordine, na-

naturæ a se insinuato, coniugibus dat liberos, Gen. I, 28. XXX, 1. 2. XLVIII, 9. Iob. X, 18. eosque paterna imagine sua ornat, Ps. CXXVII, 4. sed etiam ad stabiliendum et confirmandum istum ordinem animis parentum ac liberorum singularem propensionem et amorem inter se mutuum indidit, Ps. CIII, 13. Ies. XLIX, 15. et tum illos tum hosce ad certa officia per verbum suum obstrinxit.

§. VIII.

Officia parentum erga liberos sunt, (1) illos educare, et necessaria eis alimenta corporis pro virili parte subministrare, vsque dum sibi ipsi victum comparare possint; Eph. VI, 4. (2) in hoc elaborare, vt mentibus liberorum veram Dei et seruatoris sui cognitionem in tempore instillent; eumque in finem eis verbum diuinum a teneris, vt aiunt, vnguiculis inculcare, hortandoque illos ad verum pietatis et sanctæ vitæ studium instare; Eph. VI, 4. Gen. XVIII, 19. Deut. VI, 6. 7. XI, 19. Ps. LXXVIII, 4. 6. 9. 2 Tim. III, 15. 2 Sam. XII, 25. Tob. IV, 6. 22. (3) ipsos non ad præstandum se huic sæculo similes, sed ad imitandum seruatorem suum ipsiusque humilem vitam crucis effingere et instituere; Marc. X, 13. 2 Macc. VII, 21. 22. 23. 27. 28. 29. (4) ea in re bonum et inculpatum illis exemplum præbere, nec vlla ratione esse offendiculo; Matth. XVIII, 1. 6. 10. (5) in peccatis et vitiis eorum non con-

Officia
parentum
erga libe-
ros que-
nam?

con-

conuiuere, sed ob ea paterne ac sincere eos
 corrigere et castigare, non aliter tamen atque
 ad eorum emendationem; 1 Sam. II, 22. 24.
 29. Ebr. XII, 7. 9. 10. Sirac. VII, 25. Prou.
 XX, 30. (6) sedulis atque ardentibus pre-
 cibus eos Domino commendare, utpote a
 quo omnis bonæ ac salutaris educationis suc-
 cessus proficiscitur, 1 Sam. I, 28. Psalm.
 CXXVII, 1. LV THERVS Conc. de Matri-
 monio, Tom. I. Ien. lat. fol. 334. b. (Tom.
 I. Alt. fol. 301. a.) „Hoc audiant, qui in ma-
 „trimonio copulati sunt, quod nullum opus Deo
 „gratius, christianæ reipublice nihil utilius, pa-
 „rentibus et liberis nihil salubrius contingere
 „potest, quam si pueri pie instituantur. Pere-
 „grinationes ad Romam, Hierusalem, ad Com-
 „postellam S. Iacobi nihil sunt collatae ad hoc,
 „quod est ceu regia via parentibus perueniendi
 „ad regnum Dei. Præterea hoc officio carere
 „tam absurdum videtur, quam ignem non vre-
 „re, aquam non humectare. Ut ergo in liberis
 „tuis cælum, sic infernum quoque citissime me-
 „ruisti. Nihil abiectius execrabiliusue feceris,
 „quam si negligenter pueros tuos educas, quod
 „tum fit, quando finis blasphemare, impuden-
 „ter loqui, impuras cantilenas discere, et iux-
 „ta prauam eorum voluntatem viuere. Tales
 „sunt quidam, qui pueros indecenti amictu ad
 „mundum adiciunt, ad pompam et fastum vi-
 „te, ad diuitias instigant, ad honores, magis
 „soliciti de corpore quam anima puerorum,
 „ne

„neque considerantes maximam iacturam immi-
 „nere rebus christianis per pueros perperam in-
 „stitutos, quæ si debent reformari, necesse est,
 „ut olim a pueris fiat initium. Hoc tertium bo-
 „num matrimonii maximum est et utilissimum,
 „quod non solum debita matrimonii et imper-
 „fectiones, verum etiam omnia alia peccata
 „tolleret, si modo falsus amor lapsæ naturæ non
 „usque adeo obcecaret miseros parentes, qui
 „pluris faciunt puerorum corpora, quam ani-
 „mos. Hinc Salomon: Qui parcit virge, is
 „odit filium proprium, et qui diligit filium,
 „sepius castigat. Sunt in corde pueri stulta
 „decreta et puerilia, quæ per virgam tolluntur,
 „Prou. XXII, 15. Hinc idem: Si virga per-
 „cusseris filium, redimes animam eius ab infer-
 „no. Prou. XXIII, 14. Necesse est, ut diligen-
 „tius et frequentius meditentur coniuges, quæ
 „saluti animæ conducunt, quam quæ corporis.
 „Itaque tandem sic tibi persuade, quod puer
 „est ceu thesaurus eximius, a Deo commissus,
 „magna diligentia custodiendus, ne a diabolo,
 „mundo vel carne possit seduci, et quod hunc
 „thesaurum in morte et extremo iudicio accu-
 „rato examine repetiturus sit Deus. Vnde enim
 „miserabilis eiulatus et horrendus fletus ea-
 „rum, quæ plangent, dicentes: Beati ventres,
 „qui non pepererunt, et beata vbera, quæ non
 „lactauerunt? Luc. XXIII, 29. Procul dubio
 „ex hoc, quod filios commissos a Deo pessime
 „educarunt.,

§. IX.

Quæ-
nam sunt
officia li-
berorum?

Officia autem liberorum sunt: (1) Deo, ex quo omnis et in cælis et terra denominatur cognatio, pro omnibus beneficiis, quæ per naturales parentes in ipsos contulit, gratias agere, providentiam illius ea in re agnoscere, ipsumque tanto ardentius amare. (2) Respectu paternæ imaginis, qua parentes a Deo ornati sunt, ipsos in animo suspicere et reuereri, eamque reuerentiam externis gestibus, verbis ac factis demonstrare, Gen. XLVI, 29. XLVIII, 12. L, 1. Tob. IV, 3-5. Sirac. III, 3. 8. 9. 11. 13. 14. LVTHERVS Expofit. Decalogi ex Exod. XIX. XX. Tom. IV. Alt. fol. 615. b. „Non oportet liberos in parentibus suis solam carnem et sanguinem spectare. Hæc enim si tantummodo spectant, nihil splendidi in illis deprehendent et facile contemnent parentes. Debent autem aperire oculos, et supra carnem et sanguinem attollere, et rem admirandam in parentibus suis animadvertent. Duo enim in parentibus spectanda sunt, primum, quod caro et sanguis sunt, deinde cimelium, quod parentibus adligavit Deus, videlicet verbum suum. Ita enim verbo suo eos inclusit, velut hostia adseruanda includitur sacræ pyxidi, eosque voluntate sua vestiuit. Quocirca parentes spectandi sunt tamquam gestantes verbum et voluntatem Dei.” (3) In omnibus rebus filiali animo illis obedire, Exod. XX, 12. Sirac.

„hilo minus esurire paterer. Non verbis tantum
 „aut lingua, (quemadmodum Ioannes in epist. III.
 „v. 18. docet,) sed re et veritate amare debemus.“

§. X.

Quod-
 nam pio-
 rum pa-
 rentum
 solatium?

Solatium christianorum et piorum paren-
 tum est, (1) quod ipsorum amor in liberos
 indubitatus testis et efficax commonefactio
 sit infinite maioris amoris, quo cælestis Pa-
 ter liberos suos complectitur; Psalm. CIII,
 13. Ies. XLIX, 15. 16. Luc. XI, 11-13.
 (2) quod in recte educandis liberis fu-
 is ipsius Dei partes agant, imaginem eius ge-
 rant, illumque imitentur; (3) quod here-
 ditas lehouæ sint liberi, et fœtus ventris præ-
 mio detur ab eodem; vid. §. VII. (4) quod
 bona liberorum educatio sit res summe ne-
 cessaria et ardua, vnde ad innumeros omni-
 um ordinum homines maxima utilitas redun-
 dare possit; vid. Gen. XLI, 35-55. 1 Sam. I,
 27. 28. II, 11. 26. III, 20. 22. VII, 3. 6. 8. 9.
 13. 15. (5) quod probi et bene morati libe-
 ri illis lætitiæ, solatio et oblectationi sint, non
 in hoc tantum, sed in futuro etiam sæculo,
 ipsique omnis operæ ac laboris, in eorum
 educatione infanti, largos fructus messuri
 sint; Gen. XLV, 27. 28. XLVI, 29. 30.
 Matth. VIII, 11. (6) quod, si, omnibus of-
 ficiis parentum diligenter studioseque præ-
 stitis, nihilominus degenerent liberi, Deus
 hoc ipsis culpæ et vitio non sit daturus; E-
 zech. XVIII, 4-13. 20. et quod (7) multi-
 pū

pri et religiosi parentes ante ipsos habuerint malos et degeneres filios. Vide exempla Noachi, Abrahami, Isaaci, Iacobi, Samuelis, Daudidis, ceterorum. Quid? quod ipsi Deo, vniuersali omnium hominum parenti et conditori, contingat, vt illorum paucissimos ad bonam frugem perducatur. Deut. XXXII, 15. 18. 19. 20. Ies. I, 2-4.

§. XI.

Solatum piorum ac morigerorum liberorum Quod est: (1) quod præstet vnus bonus filius, nam piorum liberorum solatium? quam mille improbi; Sirac. XVI, 3. (2) quod cælestis Pater et Iesus Christus, seruator noster, pios liberos ardentissime amet, immo angelos etiam suos ministros et custodes eis adiunxerit; Rom. IX, 13. Tob. V. VI. X. XII. Matth. XVIII, 10. (3) quod pii liberi naturalibus etiam parentibus voluptati, lætitiæ et solatio sint; vid. Prouerbia Salomonis et liber Siracidis passim; (4) quod ipse Christus Iesus non solum cælesti Patri, sed etiam nutricio et matri suæ, quum heic humilis ageret, subiectus et dicto audiens fuerit, cuius adeo in imitatione filii morigerari versantur; (5) quod Deus morem, a liberis gestum parentibus, tamquam sibi ipsi gestum spectet, et temporariis, spiritualibus et sempiternis præmiis pro gratuita sua bonitate remunerare velit, Eph. VI, 3. Sirac. III, 6. Ierem. XXXV, 18. 19. Luc. II, 51. 52. Sicuti contra ea perpetuæ malorum filiorum

Z 2 in

in parentes suos contumaciæ temporarias æternasque pœnas minatus est, Exod. XXI, 15. Leuit. XX, 9. Deut. XXI, 20. 21. XXVII, 16. Prou. XX, 20. XXX, 17. Rom. I, 30. 32. Huc Chami, Gen. IX, 25. Absolomi, 2 Sam. XVIII, 9. seq. ceterorum exempla spectant; (6) quod, si malos parentes habeant, eorum peccata Deus ipsis non imputare, nec propterea illos gratia sua et vita æterna indignos habere velit; Ezech. XVIII, 14-20. (7) quod, si forte ob peccata parentum temporalem pœnam vna sustinere necesse habeant, hanc tamen ipsis salutaris crucis loco et simul adiumento ad bonum esse oporteat. Rom. VIII, 28. 1 Cor. XI, 32.

§. XII.

Quinam
præterea
ordo in
hoc statu
spectan-
dus?

Denique de *heris* et *famulitio* agendum est, quo certo modo spectant, quæ superiore articulo de magistratu politico eiusque potestati subiectis dicta sunt.

§. XIII.

Officia
herorum
quænam?

Officia herorum in specie sunt: (1) famulorum paterno amore prosequi; Sir. XXXIII, 31. Luc. VII, 2. 3. (2) non solum corporis alimenta eis subministrare, sed pro illorum etiam animabus vigilare, earumque curam gerere; Gen. XVIII, 19. Deut. VI, 7. Psalm. CXIX, 54. Io. IV, 51-53. (3) debitam illis mercedem dare; Iac. V, 4. et (4) omni mansuetudine uti, scientes, habere et se dominum in cælis. Eph. VI, 9.

§. XIV.

§. XIV.

Officia christianorum seruorum sunt: (1) Officia Deum ex animo timere, vt heri precibus et seruorum labore eorum fortunentur. Gen. XXIV, 12. quænam? seq. XXX, 27. 30. XXXIX, 5. (2) Heros suos omni honore dignos existimare, nec, si fidentes sunt, ideo contemnere, quia fratres sunt, sed illis eo magis seruire, quia fidentes Deoque cari sunt, idem beneficium adepti. 1 Tim. VI, 1. 2. (3) In omnibus rebus, quibus Deus non offenditur, illis cum animi simplicitate, sine seruili mercedis studio, tamquam ipsi Christo obedire. Tit. II, 9. 10. Eph. VI, 5-7. Col. III, 22. 23. LVTHERVS Summa Christianæ Vitæ, 1 Tim. I. Tom. VII. Witteb. fol. 315. a. (Tom. VI. Alt. fol. 37. a.) „Seruus laborans et non amplius cogitans, quam ita: Dominus meus mercedem mihi numerat, cuius gratia ipsi seruiuo, alias non dignarer illum adspicere, primum cor non habet, neque enim seruit nisi pro bucella panis; qua ablata cessat etiam eius seruitus. Sin autem probus et christianus fuerit, sic potius adfectus est: Non propterea seruiam, quod dominus mercedem mihi soluit, quod probus aut improbus sit, cet. sed ideo, quod verbum Dei sic ad me loquitur: Serui, obedite dominis vestris, tamquam Christo, cetera. Hic ultro e corde ebullit, quod verbum apprehendit, et magnificat, inquiens: Domino meo seruiam, mercedem recepturus. Illud

„autem maximum erit, cuius gratia seruitutem
 „seruio, ut Deo meo et Domino Iesu Christo
 „seruiam, qui seruilem conditionem mihi im-
 „posuit, quam ipsi in me placere scio, cet. Heic
 „verum opus ex puro corde profectum cernis.,
 (4) Amorem et fidem illis suam probare,
 et diligenter studioseque cauere, ne quid
 furripiant, aut interuertant. Tit. II, 10. col-
 lat. Philem. com. 18. Tandem (5) illorum
 etiam herorum, qui dure et inique eos tra-
 ctant, mores patienter ferre. 1 Petr. II, 18.

§. XV.

Quod-
 nam pio-
 rum he-
 rorum
 solatium?

Solatium piorum herorum in eo consistit,
 quod de fauore Dei in hac vitæ suæ ratione
 certi esse sibi que penitus persuadere possint,
 Deum, dominum dominantium, cuius serui
 et ipsi sunt, vicissim erga ipsos se ita gestu-
 rum esse, quemadmodum erga famulitium
 suum sese gesserint.

§. XVI.

Quod-
 nam pio-
 rum ser-
 uorum so-
 latium?

Solatium piorum seruorum est: (1) quod
 seruitus, quæ ad corpus attinet, non im-
 pediat, quo minus libertate in Christo gau-
 deant et fruuntur; 1 Cor. VII, 22. (2) quod,
 si cum animi simplicitate et timore Dei ho-
 minibus seruiant, Christus hoc accipiat, tam-
 quam sibi factum; Col. III, 22-24. Eph.
 VI, 7. (3) quod hoc gratiam emereatur, si
 dominis suis seruientes iniuriam patiantur,
 eamque æquo ferant animo; 1 Petr. II, 19.
 20. (4) quod officiis suis, vilibus licet con-
 tem-